



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Dominicus Zvcchinettvs Presbyter Novariensis Pio Lectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

DOMINICVS  
ZVCCHINETVS

PRESBYTER NOVARIENSIS

Pio Lectori.

**M**ediolanensis Provincia constitutiones, atque decreta omnia, quae Carolus Borromaeus Cardinalis & Mediolanensis Archiepiscopus, uir omni sanctitatis, ac pastoralis vigilantiae laude cumulatus, Synodis sex provincialibus Mediolani habitis ab anno Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo quinto, usque ad annum Millesimum, Quingentesimum, Octuagesimum secundum, Pio IIII. Pio V. & Gregorio XIIII. Summis Pontificibus, confecit, atque edidit, toto hoc volumine, libris sex distincto, comprehendi: à quibus nihil detractum est, nihil immutatum, nihil additum: ea uero adiuncta, quae ab ipsis decretis pendent; quae uero ad perfectam eorum cognitionem, executionemque pertinent. Cum enim ipsis conciliorum decretis omnibus legendis aliquam dedissem operam, quantum mihi per alias occupationes licuit, in eisque magnam, multiplicemque doctrinam, ac disciplinam unicuique ecclesiastico gradu, & laicali etiam ordini optimè informando accommodatam, eamque diuersis titulis ita dispersam deprehendissem, ut multi ab ipsorum decretorum lectione, & studio, uarietate ipsa facillimè auocari possent: pro ea, quae omnibus inesse debet de rebus publicis bene merendi uoluntas, & in publica materia elaborandi potestas, mihi aliquando in mentem uenit, decreta ipsa omnia Concilijs provincialibus dispersa, ita coacta disponere, ut quicquid dispersum uni potissimum materia, tituloque congrueret, id totum uno in loco, unoque in titulo distinctè reponerem, & collocarem, nè illius inueniendi causa, omnes decretorum ipsorum libros euoluere, longiusque euagari, & quasi peregrinari animo, ac mente necesse esset. quod aggredi quidem principio minimè sum ausus, tum quod

sperarem Cardinalem ipsum pastorem vigilantissimum id factu-  
rum, ut decreto concilij sexti pollicitus fuerat, (quod sanè præ-  
stitisset, si diuturnior illius uita fuisset,) tum quod tanto oneri  
uires meas, meamque industriam imparè agnoscerem. Ve-  
rùm, cum neque ipsum Cardinalem, neque alios uiderem id ef-  
ficisse, uixque ulla prouincialium decretorum exempla essent re-  
liqua; quæ tamen magno animi desiderio etiam ab exteris disci-  
plina Christiane cultoribus expeterentur; hortantibus etiam  
amicis nonnullis, negotium suscepi, demumque iudicio, ac potius  
iussu Reuerendissimi D. D. Caroli à Basilica Petri, Episcopi No-  
uariensis, mei Præfulis, adductus, qui commodum eiusmodi, auxi-  
liumque suæ Diocesi ad discipline Christiane instauracionem  
quam primum afferri uolebat, ad exitum perduxit.

In hoc opere illud à me potissimum obseruatum fuit, ut ymèz  
tituli retinerentur, qui in primo concilio inscripti fuere, usque  
deficientibus, alij aliorum insequentium conciliorum adderentur,  
ad eosque materie reducerentur. Ex quorum sanè titulorum  
materia, cum illa aliquot in locis multiplex, diuersa sanè sit, aliqui  
alij tituli acuti, alij uerò noui concepti fuere, prout rerum ordo  
expostulabat, quò facilius conciliares omnes materie distinctæ,  
explicatæque reperirentur: quod, ut exemplo planum faciam;  
Primi Concilij titulus, cum solummodo esset: De professione fidei,  
& eius tuenda cura, uel ut in alijs concilijs. Quæ ad fidem tuen-  
dam, uel quæ ad fidei tuende studium pertinent, ex ijs, quæ illo  
uno titulo continerentur, subsequentià capita deprompsimus: De  
Hæreticis, Hæresis uè nomine susceptis: De sanctæ Inquisitionis  
officio: De Cingaris: De Editione, & usu sacrorum librorum,  
ac Indice librorum prohibitorum: De Impressoribus, & Biblio-  
polis: De Ludimagistris: De sacramento quoque Eucharistie  
titulus unicus, in hos etiam titulos plures, non ab re partitus fuit:  
Videlicet de custodia sanctæ Eucharistie: De sanctæ Eucharistie  
in Ecclesia administratione: De sanctæ Eucharistie ad egrotos  
deferenda. De sanctissimo Sacramento processionaliter defe-  
rendo: De Oratione quadraginta horarum: De Vasis, instru-  
mentisque ad sacre Eucharistie, tum asseruandæ, & ministran-  
dæ, tum deferendæ, & exponendæ usum opportunis. Nam &  
Libellum

Libellum instructionis Fabricæ, & suppellectilis Ecclesiæ disper-  
situm suis titulis, locisque ad maiorem utilitatem, commodita-  
temque inserui, diuerso tamen caractere imprimendum. Præ-  
terea ubi decreta aliqua ad rem plurium titulorum facere uide-  
bantur, eorum in ipsorum omnium argumentis mentionem ha-  
bui, cum citatione locorum, capitum uè, ubi integra decreta repe-  
riri poterunt. quod si alicubi forte omissum fuerit, copiosissi-  
mi indicis beneficio, quem opere adiunxi, facillime suo quidque  
loco reperietur. imò nè Lectorem tederet, decreta ipsa pluries  
citata requirere; illa aliquando dedita opera integra in pluribus  
titulis reposui. Titulis autem singulis, instructionem quoque  
Ecclesiæ fabricæ comprehendens pro materia conciliaris ratione  
adiunctam; argumenta, summariana uè totam tituli materiam  
complectentia, præposita fuere; adiunctis numeris decreta sin-  
gula, ac instructionis capita indicantibus. Demùm constitutiones  
Pontificiæ, post singula decretorum prouincialium volumina  
olim impressæ; quoniam in ipsis decretis citatæ sunt, uel ad eo-  
rum maiorem declarationem, auctoritatem uè pertinent, operi  
adiunctæ sunt. Quæ res multo tempore, maximoque labore ab-  
soluta, si erit eiusmodi, quæ alicuius expectationi minimè satis-  
faciat, is rem uniuersam occupationum angustijs, & rerum im-  
plicatione, ac multitudine metiatur: atque omnia, ut arbitror,  
æqui, bonique consulat; donec opus iterum fortasse Deo bene in-  
uante perfectius à nobis edatur, aut uerò id efficiat alius, cu-  
ius labore nos cum alijs perfruentes laudare, gratiasque age-  
re possimus.